mit welchem zu der

am 2. und 3. April 1868

stattfindenden

öffentlichen Prüfung und Sch

des

Königlichen Gymnasiums zu Weilburg

im Namen der Anstalt ergebenst einladet

der Director

Dr. Heinrich Ludwig Schmitt,

Oberschulrath, Inhaber des Ordenskreuzes IV. Classe des Militär- und Civil-Verdienstordens Adolphs von Nassau und Ritter des Kaiserlich Russischen St. Stanislausordens II. Classe.

Inhalt:

Weilburg.

Druck von L. E. Lanz.

1868

Explicationes et emendationes Aeschineae.

Multi sunt scriptores Graeci per has aliquot annorum decades a viris doctis digniores habiti, ad quos diligentiam et sagacitatem suam conferrent, quam Aeschines orator. De quo etiamsi nihil aliud praedicari posset, quam Demosthenis eum adversarium aemulumque exstitisse, in tot tantisque vitiis eius et vitae morumque maculis quis est qui neglegendum putaret? Itaque cum abhinc paulo plus decem annos Frankius, vir doctissimus plurimumque in Aeschinis orationibus versatus, doleret (cf. praefat. editionis Teubnerianae p. III), quod magna pars codicum Aeschinis in bibliothecis neglecta iaceret, optime de hoc scriptore meritus est F. Schultzius, qui non solum sex fere codices haud spernendos primum contulerit, sed etiam omnem quem dicimus apparatum criticum verbis oratoris supposuerit et scholia ex parte inedita adiecerit. Illud quoque de eo laudandum erit, quod magnam et cautionem et diligentiam et doctrinam in textu constituendo adhibuit. Quam autem Frankius spem habuit, meliores etiam, quam quos noverat, codices hic illic latere atque in lucem prolatum iri, haec illa ipsa Schultzii editione magnopere debilitata est. Omnes enim, quos vir doctissimus primum excussit libros, etiam antiquissimos, apparet aut vehementer esse interpolatos aut ex interpolatis transscriptos. Est igitur, ut erat, ut etiam nunc codicem a, qui saeculo XV. demum scriptus habetur, potissimum sequentes alios saeculo XIII., ut videtur, scriptos atque adeo Coislinianum codicem saeculo X. confectum illi posthabere oporteat, et restat, ut sano iudicio duce certa ratione, quae tradita sunt, examinemus, quaeque minus apta videntur, aut emendemus aut saltem emendanda notemus et iudicio ac sagacitati aliorum subiciamus.

At non solum emendanda multa in orationibus Aeschinis esse, sed fortasse magis eas etiam nunc explicationis indigere, et nuper Dahmsius in Fleckeiseni et Masii nov. Annal. a. 1866, pag. 221 docuit, et si quis paulo attentius diligentiusqne legit et interpretationes earum comparat, facile videt. Quae quidem interpretationes paucae confectae sunt, sive conversiones spectes sive commentarios qui dicuntur perpetuos sive animadversiones ad singulas orationum partes pertinentes, paucissimae vero proximis temporibus, ex quo praesertim scholia, quae partim antiquissima atque optima ad nos pervenerunt, inprimis Imm. Bekkeri et G. Dindorfii cura non mediocriter aucta in lucem prodierunt. — Ne multa: illud apparet, operae pretium esse in scriptis Aeschinis sive emendandis sive explanandis se collocare. Num autem fructus, quos ego ex opera mea impensa perceptos nunc sum prolaturus, sensu virorum harum rerum peritorum gustentur, num, qui solo veritatis studio ductus sim, oratoris sententias ad veram et genuinam formam hic illic propius adduxerim, non est mei iudicii constituere.

[illegible] animadversiones meas Schultzii editioni Aeschinis (Lips. 1865) et conversioni in linguam germanicam novissimae, orationum saltem primae et secundae, quas hic tractabimus, Benseleri (Lips. 1855—1860) esse applicatas, ut in universum quidem, quod ad textum attinet, cum illo, de verborum autem sententia cum hoc viderer consentire, ita tamen, ut deprecer, ne putes censuram me horum librorum voluisse scribere. Non ita pauca enim sunt, de quibus hoc loco tacui, sed quae in censura pertractanda esse existimem.*) Iam ad rem transeamus et primum quidem orationem de legatione male gesta habitam, deinde Timarcheam aggrediamur.

De F. L. cap. 6, §. 19. Titulum Schultzius hunc habet: *Ψηφίσματα, ἐκμαρτυρία, μαρτυρίαι.* Item editores Turicenses, Frankius, Benselerus. Libri e, g, h *ψηφίσματα*, quod Marklandus conjecit, plane omittunt, ceteri *ψήφισμα* praebent; pro *ἐκμαρτυρία* in a d F p Vat. Laur. Flor. habetur *ἐκμαρτυρίαι*, in m *ἐκμαρτυρίας*, in v *ἐκ μαρτυρίας*, in i k l s *μαρτυρία; μαρτυρίαι* tertio loco Reiskius primus de coniectura addidit. — Videamus, quae praecedant. Ex verbis (§. 19): *ἵν' εἰδῶσιν οἱ δικασαί, τίς ἦν Φιλοκράτους ἑταῖρος καὶ τίς ὁ τὰς δωρεὰς Ἀριςοδήμῳ φάσκων πείσειν δοῦναι τὸν δῆμον* elucet, Aeschinem ostendere voluisse, Demosthenem ipsum olim amicum Philocratis, quem nunc secum accusaret, et Aristodemi histrionis, alterius hominis Philippi studiosi (cf. §. 15: *διὰ τὴν γνῶσιν καὶ φιλανθρωπίαν τῆς τέχνης*) fuisse. Hoc ut probet, primum populiscitis utitur. Illud quidem *ψήφισμα* Philocratis Hagnusii, quo statutum erat *ἐξεῖναι Φιλίππῳ κήρυκα καὶ πρέσβεις πέμπειν ὑπὲρ εἰρήνης*, et de quo Philocrates a Lycino aliisque erat accusatus, a Demosthene defensus, recitatum non esse, cum ex eo concludo, quod ipso decreto vix quidquam de defensione Demosthenis continebatur, tum ex verbis his Aeschinis (§. 14): *καὶ ταῦθ' ὑμεῖς ἅπαντες ἴςε*, e quibus effici videtur posse, oratorem recitatu non opus esse existimasse. At de tribus praeterea decretis orator mentionem fecit, quorum primum est, quo Philocrate et Demosthene intercedentibus Aristodemus de Iatrocle et Eucrato ex custodia emittendis ad Philippum regem missus est; alterum, quo Demosthenes Aristodemum reversum corona ornandum esse censuit, tertium Philocratis, ut decem legati ad regem Macedoniae de pace mitterentur. Quo in numero et Demosthenes et Aeschines et Philocrates erat, Demosth. quidem ab Philocrate commendatus. Quae commendatio, quum in decreto ipso videatur memorata esse, statuendum erit, haec tria *ψηφίσματα* Aeschinem legi iussisse et, ut supra: *λαβέ μοι τὰ ψηφίσματα*, ita in titulo cum Marklando legendum: *Ψηφίσματα.*

De lectione *ἐκμαρτυρία, μαρτυρίαι* aliter sentio. Secundum Harpocrationem *ἐκμαρτυρία διαφέρει τῆς μαρτυρίας, ὅτι ἡ μὲν μαρτυρία τῶν παρόντων ἐςίν· ἡ δὲ ἐκμαρτυρία*

---

*) Ut hosce quoque Benseleri errores nimiae scribendi festinationi tribuendos, quos equidem miror virum doctissimum admisisse: De F. Leg. cap. 1, §. 4: *δθ' ὕβριν καὶ παροινίαν εἰς γυναῖκ' ἐλευθέραν καὶ τὸ γένος Ὀλυνθίαν κατηγόρει μου*, quae Benselerus Germanice reddit: „als er mir schnöde Behandlung und weintrunkenen Uebermuth gegen ein freigeborenes Weib und den olynthischen Volksstamm vorwarf;" cap. 11, §. 38: *ἴσως γὰρ — παρέλιπον*, „und er dürfte — übergangen haben;" adv. Tim. cap. 41, §. 100: *ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ*, „in der Rede selbst;" cap. 67, 164: *λεγέτω παρελθὼν — ὑπὲρ αὐτοῦ*, „es trete — für ihn auf und spreche;" cap. 71, §. 173: *κατεπαγγέλλεται — παραςήσειν τῷ φεύγοντι θαῤῥεῖν*, „er werde — zur Ermuthigung zur Seite stehen;" cap. 75, §. 185: *τῇ μὲν — ἁμαρτανούσῃ*, „Einem, der sich — vergeht."

τῶν ἀπόντων. Itaque *ἐκμαρτυρία* est testimonium absentis alicuius. At non solum illud dictum testis absentis sic nominari, quod per literas*) datum, sed etiam quod per alios homines ex illo absente auditum redditur, ex hoc Aeschinis loco §. 19: *τὴν ἐκμαρτυρίαν ἀνάγνωθι τὴν Ἀριςοδήμου καὶ κάλει πρὸς οὓς ἐξεμαρτύρησεν* elucet. Nec mirum. In utraque enim re *ἡ ἐκμαρτυρία* est ipsius absentis hominis; hic enim vere testis est, non is, qui dictum eius refert et confirmat, neque interest, qua ratione hoc dictum ad iudices perferatur. Idem quod apud Harpocrat., in Suidae lex. s. v. *ἐκμαρτυρία* invenimus. Et apud Ammonium legimus s. v. *μαρτυρία*: *Μαρτυρία καὶ ἐκμαρτυρία διαφέρει· μαρτυρία μὲν γάρ ἐςιν ἡ τῶν ἐπιδημούντων, ὡς διασαφεῖ Δείναρχος κτλ.* et s. v. *ἐκμαρτυρία*: *Ἐμκαρτυρία μαρτυρίας ἔν τινι* (sic in editione Valcken.; *ἐν τίνι?*) *διαφέρει, δηλοῖ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Κλεομέδοντος λέγων. Ἀναγνώσεται δὲ τῶν μὲν ἐπιδημούντων τὰς μαρτυρίας, τῶν δὲ ἀποδημούντων ἐκμαρτυρίας.* Cum quo consentit e Scholiis ad hunc Aeschinis, de quo agitur, locum ultimum: *ἡ τοῦ μὴ παρόντος μαρτυρία καλεῖται ἐκμαρτυρία, οἷον τοῦ ἔξω ὄντος μαρτυρία· τῶν ἀποδημούντων γὰρ καὶ τῶν μὴ δυναμένων ἐλθεῖν εἰς τὸ δικαςήριον καὶ τὰς τῶν τετελευτηκότων μαρτυρίας ἐκ γραμματείων ἀνεγίνωσκον, αἳ ἐκαλοῦντο ἐκμαρτυρίαι.* — At in Bekkeri Anecdott. I, pag. 248 legitur: *Διαφέρει μαρτυρίας ἐκμαρτυρία, τῶν μὲν γὰρ παρόντων μαρτυρία, τῶν δὲ ἀπόντων ἐκμαρτυρία καλεῖται, καὶ ὁμοίως ἐκμαρτυρίαν λέγουσιν, ὅταν τις τὰ παρὰ τοῦ ἀπόντος εἰρημένα ἐκμαρτυρήσῃ.* Unde patet *ἐκμαρτυρίαν* (et *ἐκμαρτυρεῖν*) posse ad illum quoque referri, qui se audisse quempiam aliquid dicentem testatur. Et haec una significatio vocis et a Polluce VIII, 36 his verbis memoratur: *Μαρτυρία καλεῖται, ὅταν τις αὐτὸς ἰδὼν μαρτυρῇ· ἐκμαρτυρία δέ, ὅταν παρὰ τοῦ ἰδόντος ἀκοῦσαι λέγῃ*, et a Suida s. v. *ἐκμαρτυρεῖν*: *Ἐκμαρτυρεῖν φασι τὸ λέγειν οὐχ ἅπερ αὐτὸς οἶδεν, ἀλλ' ἅπερ ἑτέρων ἤκουσε λεγόντων.* Maxime autem perspicue primum de Scholiis huc pertinentibus hanc significationem exponit his verbis: *μαρτυρία —, ἐκμαρτυρία δὲ ὅταν περὶ ἀπόντος τινὸς καὶ ἀποδήμου ὑπάρχοντος, λέγοντες ὅτι μαρτυροῦμεν ὅτι, ὅτε παρῆν, ἔλεγε τόδε*, quod deinde sequitur aliud brevius: *ἐκμαρτυρία ἐςίν, ὅταν μὴ εἰδὼς αὐτὸς μαρτυρῇ, ἀλλὰ φάσκῃ ἀκηκοέναι.* His omnibus consideratis ego quidem censeo in altera tituli parte, qualem optimi libri praebent: *ἐκμαρτυρίαι* esse acquiescendum, quodque Reiskius coniecit, editores Turicc., Frankius, Benselerus probaveruut: *μαρτυρίαι* reiciendum. Nihil enim impedit, quin vocabulo *ἐκμαρτυρία*, quod antea pro testimonio ipsius Aristodemi tum absentis ab aliis audito usurpatum erat, in titulo vim profitendi, quae ab Aristodemo olim dicta sint, subiciamus. Atque ut orator plerumque praeconem formulam a se ipso conscriptam legere iubet, quam is quem velit confirmet, ita hoc loco Aeschines indicium Aristodemi a se (Aeschine) ipso conscriptum iubet legi, quod quidam illum quondam coram se professum esse testentur. Legendum igitur: *Ψηφίσματα. Ἐκμαρτυρίαι.*

Cap. 9, §. 31: *περὶ μὲν οὖν τῆς ἐξ ἀρχῆς κτήσεως τῆς χώρας καὶ τῶν καλουμένων Ἐννέ' ὁδῶν — τότε μὲν ἥρμοττε λέγειν καὶ ἐρρήθη ὡς ἐνεδέχετ' ἀκριβέστατα, νυνὶ δ' ἴσως ἀνάγκη συντέμνειν τοὺς λόγους· ἃ δ' ἦν τῶν σημείων —, τούτων ἐπιμνησθήσομαι.* Sic Schultzius cum H. Wolfio. Frankius: „Fortasse," ait, „*καὶ τούτων ἐπεμνήσθην.*" Libri:

---

*) Reisk. ad orat. Tim. §. 107: „testimonium literis consignatum ab absente vel peregrinante ad iudices missum."

τούτων ἐπεμνήσθην. Quam librorum lectionem retineri non posse, quisque videt. Sed ne id quidem, quod Frankius suadet, mihi probatur. Apparet enim, quam Aeschines refert orationem, eam duabus potissimum constare partibus. Ac priore quidem exponit ut benevolentiam et beneficia, quibus Athenienses reges Macedonum, et Amyntam et Philippum filium eius, affecerint, ita malam gratiam, quam Ptolemaeus, Perdikkas, ipse Philippus retulerint. Deinde altera parte (*περὶ μὲν οὖν κτλ.* §. 31) argumenta componit, quibus cives suos Amphipolim iure sibi vindicare existimet. Hic autem, quae in antiquis quidem fabulis posita argumenta attulerit, ea ait nunc per compendium sibi videri repetenda (*νυνὶ δ' ἴσως ἀνάγκη συντέμνειν τοὺς λόγους*), et vere satis habet, paucissimis verbis ea significasse. Inde non video, quid aliud sequi possit, quam aut: „quae contra res ipsorum aetate factae argumento sibi fuerint, has se esse expositurum,“ aut: „has exponendas se censere.“ Iam enim sese ostendisse narrat, Atheniensibus patrem Philippi Amyntam cum sociis Graecis Amphipolim expugnare decrevisse et Philippum oppidum illud non bello cum Atheniensibus gesto his eripuisse, quorum esset, sed summum Amphipolitanis, qui sui iuris non essent. Itaque aut Wolfii emendatio *τούτων ἐπιμνησθήσομαι* probanda erit, aut, id quod ad librorum scripturam propius accedere videtur, *τούτων ἐπιμνησθῆναι* sc. *ἀνάγκη* scribendum. Nam diphthongum *αι* et vocalem *α*, inter se saepe vix distinguendas, simillime scriptas occurrere atque *συ*, Bastius in commentat. palaeograph. Schaeferi editioni Greg. Corinth. adiecta docuit p. 715. Fieri igitur facillime potuit, ut, cum syllaba *συ* — sententia, quae sequitur, incipit: *Συμμαχίας* — bis posita videretur, illo *αι* omisso *ἐπιμνησθην*, quod relinquebatur, pro *ἐπεμνήσθην* legeretur. Qua ex re fortasse causa repetenda est, quod in codd. e k l s praepos. *εἰς* ante *συμμαχίας* (*αν*) invenitur. — Quod vero ad Frankii *καὶ τούτων ἐπεμνήσθην* attinet: hoc ante omnia tenendum, tota altera orationis parte, ut supra diximus, de iure narrari actum esse, quo Athenienses contendant Amphipolim in sua potestate esse. Aeschines autem, cum sive propter temporis angustias sive aliis de causis, quas potissimum rationes coram Philippo a se allatas populo exponeret, deliberaret, fabulosis illis narratiunculis neglectis praecipue signa historica elegisse, profecto mirandum non est. Quid fabulis probari hoc loco potest? An populus Atheniensium etiam tum iis tantum tribuisse putandus sit, ut hanc ob causam primo loco orator collocaverit? Imo ea ipsa causa praetermittendi videtur esse, quod plurimos popularium talibus rebus vim nullam tribuere confidebat. Si verum hoc est, a re nullius vel parvi momenti, quam leviter tetigit tantum, ad multo graviores transiens, certo his verbis: *καὶ τούτων ἐπεμνήσθην* uti non potuit, quae eius sunt, qui res iam narrandas esse leviores quasdam ac memoratu non digniores quam antea narratas arbitrabatur. Ego igitur omnibus perpensis malim legi: *τούτων ἐπιμνησθῆναι.*

Cap. 11, §. 40: *ὅτι μὲν οὖν ἦν ποθ' ὁ κέρκωψ ἢ τὸ καλούμενον παιπάλημ' ἢ τὸ παλίμβολον ἢ τὰ τοιαῦτα ῥήματα, οὐκ ᾔδειν πρότερον· νῦν δ' ἐξηγητὴν τοῦτον λαβὼν τῆς ἁπάσης κακοηθείας μεμάθηκα.* Benselerus convertit hunc locum: „Noch wußte ich damals nicht, was für ein tückischer Kobold — er sei; jetzt, wo er mir selbst seine ganze Bösartigkeit entschleiert hat, weiß ich's nur zu wohl.“ Articulum igitur in *ὁ κέρκωψ, τὸ καλούμενον παιπάλημ' ἢ τὸ παλίμβολον* videtur *δεικτικῶς* positum arbitrari (proprie: iste *κέρκωψ κτλ.* quidnam, cuiusmodi, quod genus esset), non, ut Wolfius, Bremius, Muellerus generatim; itemque in *τῆς ἁπάσης κακοηθείας.* Falso mea sententia. Primum enim quod Demosthenem *κέρκωπα* ipse appellaret, quodam modo repugnaret sententiae: „quid

ille esset, prius ignorabam.“ Nisi forte concedimus, verbis ὁ κέρκωψ κτλ. significari aut „is, quem postea κέρκωπα cognovi, nunc esse scio,“ quae tamen interpretatio nimis coacta videretur, aut „is, qui vulgo per ignominiam κέρκωψ nominatur“ — sed ita iam huic voci, non ei demum, quae sequitur: *παιπάλημα*, *καλούμενος* vel tale aliquid erat adiciendum. Praeterea autem de talibus contumeliosis cognominibus Demostheni vulgo inditis neque ab Aeschine aliis locis neque ab aliis scriptoribus quidquam traditur*). Deinde ex verbis *τὰ τοιαῦτα ῥήματα* possumus colligere, superiora quoque nomina solum ut notiones communes, non ad Demosthenem pertinentes dicta esse. Hoc eodem modo orator vocabulo *προδότης* in §. 166 usus est dicens: *ταῦτ' ἐςὶν ὁ προδότης καὶ τὰ τούτοις ὅμοια*, quem locum hanc quoque ob causam cum eo, de quo quaestio est, puto comparari posse, quod in utroque vi articuli id significatur, quod Germanice dicimus: ein ächter, richtiger, wahrer. Tum etiam ex pronomine *τοῦτον* cogo, nomina illa generatim esse intellegenda. His enim si Demosthenes denotatus iam esset, quid opus esset pronomine demonstrativo? Imo opus erat *αὐτὸν* pronomine, quo posito sensus hic efficeretur (missis nunc, quae supra monita sunt): „cum prius ignorarim, quod genus hic *κέρκωψ* esset, nunc ipsum omnis suae malitiae nactus interpretem scio.“ Bens. ipse, quae commodum exposui, eo confirmat, quod *τοῦτον* non „diesen“ interpretatur, sed „ihn selbst.“ — Itaque cum nihil nos cogat, Bens. sequi, multa ceterorum **) interpretationem commendent, ea erit retinenda.

Cap. 19, §. 67: *μαρτυρεῖ Ἀμύντωρ Αἰσχίνῃ, ὅτ' ἐβουλεύεθ' ὁ δῆμος —, ὅτ' οὐκ ἐξῆν δημηγορεῖν, ἀλλὰ τὰ περὶ τῆς εἰρήνης καὶ συμμαχίας ψηφίσματ' ἐπεψηφίζετο κτλ.* Lectionem *ἐπεψηφίζετο* recte se habere, nemo non intelligit. Neque ulla codicum discrepantia de hoc vocabulo est. Sed in Scholiis non *ἐπεψηφίζετο* invenitur secundum Schultzium, sed aut *ἐπεψήφιζε* aut *ἐπιψήφισαι*. Adnotatio autem, quae sequitur, in codice antiquissimo Coisliniano, qui et ipse habet *ἐπεψήφιζε*, haec est: *ἀντὶ τοῦ ὑπεβάλλετο τῷ δήμῳ καὶ ἐκυροῦ τὰ ψηφισθέντα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ*, in ceteris, qui *ἐπιψηφίσαι* praebent, haec: *ἀντὶ τοῦ ὑπόβαλλε* (*ὑπόβαλε* i) *τῷ δήμῳ καὶ ἀκύρου* (*ἐκύρου* Laur.). Atque ex his Dindorfius restituendum putavit: *ἐπεψήφιζε — ὑπεβάλλετο — ἠκύρου*, Schultzius autem: *ἐπεψηφίζετο — ὑπεβάλλετο — ἠκύρου*. Ego quidem, quod ad *ἐπεψηφίζετο* attinet, non video, quid sit dubitandum, cum in textu codices omnes consentiant; sed illud *ἠκύρου*, quod qui probaverit, eum necesse est verbo *ὑπεβάλλετο* sensum passivum subicere et *ὁ δῆμος* intellegere, nescio quomodo possit retineri. Verum enim quidem videtur, in priore Atheniensium contione Demosthenem populo persuasisse, ut pacis condiciones, quales Philocrates descripserat, non omnes admitteret, in posteriore autem Aeschinem effecisse, ut de sententia discederet: ***) at Aeschines hoc ipsum negat, quamque opinionem populus postremo conceperit, hunc die priore ait concepisse, postridie nihil aliud quam suffragium tulisse. Itaque rectissime, si quis, quid dixerit orator verbis *τὰ περὶ τῆς εἰρήνης — ψηφίσματα ἐπεψηφίζετο*, erat explicaturus, dicere poterat: *ὑπεβάλλετο τῷ δήμῳ καὶ ἐκυροῦτο τὰ ψηφισθέντα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ.* Generi activo

---

*) Cf. Schaeferi libri: Demosth. und seine Zeit II, pag. 319: „Ueberhaupt, abgesehen davon, daß Aeschines ein Langes und Breites über Batalos (de cuius significatione v. I, pag. 306 sq.) redet, sind ehrenrührige Schmähungen nur indirekt und beiläufig gegen ihn gerichtet und durch keine Thatsachen belegt.“

**) nisi quod Bremius quoque *τῆς ἁπάσης κακοηθείας* ad Demosthenem refert („seit dieser mir die ganze Bosheit seines Charakters entschleiert hat“).

***) Cf. Schaefer. l. c. II, p. 213 sq.

verbi *ὑπερβάλλειν*, non passivo vis est proponendi aliquid populo, ut aut comprobet suffragio aut improbet, quod etiam ex scholio altero ad §. 84 pertinente: (*ἐπεψηφίζειν — ἐςὶν —*) *ἢ ὑποβάλλειν ὥςε κυρῶσαι τὸν δῆμον* plane elucet. Illud autem *ἐκυροῦτο*, quod restituendum puto, in *ἐκυροῦ τὰ (ψηφίσματα)*, ut est in codice Coisliniano, latere quis non intellegat? Postquam per errorem *ἐπεψήφιζε* irrepsit, facile fieri potuit, ut et *ἐκύρου* corrigeretur et *ὑπεβάλλετο* pro genere medio haberetur.

Cap. 22, §. 80: *χρὴ δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, τοὺς μὲν πρέσβεις θεωρεῖν πρὸς τὸν καιρόν, καθ' ὃν ἐπρέσβευον, τοὺς δὲ ςρατηγοὺς πρὸς τὰς δυνάμεις, ὧν ἡγοῦντο.* Reiskius huic loco Taylori, Wolfii conversionem vituperantis, adnotationem comprobans subiecit, qui in ea: „*καιρός*," inquit, „non est tempus ipsum, sed si ita loqui permissum sit, flos temporis, bella opportunitas, pulchra et tempestiva occasio," et in Indice Graecitatis Aeschineae hunc locum allegans *θεωρεῖν πρός τι* sic interpretatur: rationem habere alicuius rei. Quam interpretationem a Bremio reiectam Benselerus denuo recepit convertitque: „Gesandte — müssen auf die Zeitumstände Rücksicht nehmen, in welche ihre Gesandtschaft fällt, wie die Feldherren auf die Streitkräfte, die sie unter sich haben." At etiam si concedamus, id quod addubitamus, in verbo *θεωρεῖν* cum praeposit. *πρός* iuncto vim rationis habendae inesse, tamen propter tempus imperfectum vv. *ἐπρέσβευον*, *ἡγοῦντο* haec interpretatio admitti non potest. Si quis enim dixit: Legatis ratio habenda est temporum, in quibus legationem administrant, ducibus copiarum, quibus praesunt, dicit aliquid, sin vero rationem ait habendam legato temporum, in quibus administrarit, nescio, quid sit. Profecto enim dum munere funguntur et legatus et dux, debent tempora copiasque respicere, non postea quam functi sunt. Quod Benselerus ipse sentiebat, cum pro imperfectis in sententiis secundariis praesentia tempora (die Gesandtschaft fällt, — unter sich haben) adhibebat. — Praeterea si verbo *θεωρεῖν τινα* vel *τι* notionem, quam habet,*) v. Germanici „beurtheilen" subicimus, sententia verborum optima efficitur. Aeschines enim adversarii exprobrationem, quod sibi non constiterit, quoniam Arcadas adversum Philippum incitarit, deinde turpem cum eo faciendam pacem commendaverit, impugnans: „In bello," inquit, „omnes Graecos contra Macedonem ut arma consociarent adhortatus sum; quod cum frustra me conari intellexissem, rebus nostris admodum afflictis pacem suasi, quam ego quidem multo honestiorem bello esse contendo. In hoc igitur me fateor mihi non constitisse, sed tamen recte fecisse sum putandus. Legati enim ducibus comparari possunt. Utrosque autem oportet (Germanice „man sollte", ut recte Bremius habet) non ex solo eventu aestimari, sed illos ex condicione civitatis, a qua missi, hos ex copiarum magnitudine, quibus praefecti erant. Quod ita non usu venit;**) nam qui victoriam deportarunt, sive magnis sive parvis copiis, honorantur***), qui contra legati pacem renuntiarunt, sive aequa sive iniqua pro statu rerum est, ab iis ratio reposcitur. Quodsi hoc manebit, efficietis, ut nulla unquam bella vel humaniter

---

*) Cf. Aeschin. I, §. 93: *θεωρεῖτε τὸ πρᾶγμα μὴ ἐκ τοῦ παρόντος, ἀλλ' ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου.* III, §. 168: *ὑμεῖς δ' ἀντιθέντες ἑκάτερα τούτων θεωρήσατ' αὐτὸν, μὴ ὁποτέρου τοῦ λόγου, ἀλλ' ὁποτέρου τοῦ βίου ἐςίν.* Isaei I, §. 13: *καίτοι χρὴ θεωρεῖν αὐτοῦ τὴν ἔννοιαν ἐκ τούτων τῶν ἔργων μᾶλλον ἢ ἐκ τῶν διαθηκῶν.*

**) Haec sententia verbo *χρή* mihi contineri videtur, et in enunciato *καὶ γὰρ τὰς εἰκόνας κτλ.* primum *καί* respondere alteri *καί*, quod est ante *τὰς προεδρίας*, *γάρ* autem convertendum esse „nämlich."

***) Fortasse Chareta significat, qui cum maximis pecuniis consumptis (§. 71 sq.) paulum profecisset, tamen a Demosthene laudabatur. V. Schaef. l. c. II, p. 49, 72, 127.

gerantur vel placide componantur: nemo enim legatus ire volet.“ Quod autem Aeschines omnino breviter minusque aperte hoc loco loquitur, si quis in Demosthenis orationibus, praecipue Olynthica prima, cognoverit, quam periculosum tum fuerit, Atheniensibus vera dicere, non mirabitur. In universum igitur mihi Wolfii probatur translatio Latina, Bremii Germanica.

Cap. 33, §. 84: *ἀποδοθῆναι γὰρ περὶ τούτων ἑτέραν ἐκκλησίαν.* Wolfius: „sed (legit enim: *ἀποδοθῆναι δὲ*) de his aliam contionem indicendam;“ Bremius: „denn in Bezug auf dieses müsse eine andere Volksversammlung anberaumt werden.“ Benselerus similiter. Hi omnes *δεῖν* vel *χρῆναι* supplendum putant, „quod post verba *φάναι, λέγειν* et synonyma apud infinitivum saepe omittitur“ (Bremius). Reiskius, quem Muellerus sequitur, interpretatur (in editione sua): „huic enim negotio aliam contionem datum iri“ et addit: „Hoc enim est *ἀποδοθῆναι*, significatione temporis futuri, h. l. non praeteriti.“ At quamvis saepe in oratione obliqua modus infinitivus vicem imperativi praestet,*) tamen num in sententia causali eiusmodi exemplum inveniatur, est quod dubitemus.**) Sed nec pro *δεῖν ἀποδοθῆναι* et ne pro futuro quidem *ἀποδοθῆναι* positum esse, sed, ut solet infinitivus aoristi, rem praeteritam designare, ex his rebus efficitur. Primum enim ex huius orationis §. 82 (*ἤδη δ' ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τοὺς ὅρκους, οὔπω δ' ἀπηρκότων ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν ἐκκλησία γίγνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης ὁ νυνὶ κατηγορῶν ἐμοῦ λαγχάνει προεδρεύειν*), §. 85 (*ὡς δ' ἡ παροῦσα ἐκκλησία διελύθη, ἐξώρκιζον τοὺς συμμάχους οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις κτλ.*), §. 90 (*Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς, εἷς ὢν τῶν πρέσβεων, ἑβδόμῃ φθίνοντος*) et ex oratione adversus Ktesiph. §§. 73 sq. (*ὃ δ' ἦν ὑπόλοιπον — καὶ τοῦτ' ἔπραξαν ἕκτῃ****) *φθίνοντος τοῦ ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς, πρὶν ἐπὶ τὴν ὑστέραν ἀπαίρειν πρεσβείαν τὴν ἐπὶ τοὺς ὅρκους Δημοσθένην· — ὁ δ' ἐπιψηφίσας Δημοσθένης ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους τοῖς πρέσβεσι τοῖς παρὰ Φιλίππου ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων*) cogitur, contionem, cui Demosthenes praesidebat, habitam esse die 24. (23.?) Elaphebolionis. In hac de sociis†) iureiurando adigendis deliberabatur, quae adactio deinde eodem die facta est. Pacem autem, in quam tum synedrii assessores iurabant, iam die 18. et 19. Elaphebolionis deliberaverant††) posterioreque eorum dierum fecerant. Atque in illis consiliis publicis de sociis quoque multa disputata esse, cum ex ipsa rei natura sequatur, tum permultis oratorum testimoniis†††) firmatur. De Kersoblepte quidem videtur mentio illata non esse, sed manifestum est, si, utrum in sociis adnumeraretur necne, consiliandum erat, hoc duobus illis diebus fieri oportuisse. Itaque optimo iure Demosthenes dicere potuit: *περὶ τούτων ἑτέρα ἀπεδόθη ἐκκλησία.* — Praeterea Demosthenes, multis iisque optimis rationibus ductus, omnia quae ad pacem pertinebant ut

---

*) Cf. Bosii Ellips. p. 596.

**) Ceterum Matthiaeus prorsus negat *δεῖν* interdum omitti. Cf. Gr. mai. II, §. 535, c, adnotat. 2: „Daß *δεῖν* zuweilen ausgelassen werde, wie die Ellipsenjäger annehmen, ist ungegründet. Der Begriff „müssen“ liegt theils in dem regierenden Verbum, theils in der Construction mit dem Infinitiv, der an und für sich das anzeigt, was erfolgen soll.“

***) De dierum discrepantia v. Schaefer. l. c. II, p. 230, adn. 3.

†) non comprehensis, quos socios Atheniensium esse Philippus negaverat, Phocensibus et Haliensibus, (Schaef. l. c. II, p. 210).

††) V. Schaef. l. c. II, p. 209 sqq.

†††) quae v. apud Schaef. l. c,

summa, qua fieri posset, festinatione agerentur, hortabatur.*) Maxime igitur consentaneum est, cum Critobulos rogationem de rege Thracio ferret, oratorem dixisse: „De his rebus actum est; quod cupis, prius proferre debebas.“ — Ad haec omnia accedit, quod in scholiis eadem, quam nos tuemur, interpretatio habetur, ubi legimus: *ἤδη γὰρ προεγεγένητο ἡ ἐκκλησία κτλ.* Itemque Schaeferus sensum huius loci reddit his verbis (l. c. II, p. 228): „denn das sei in der früheren Volksversammlung abgemacht.**)

Cap. 26, §. 94: *Ἐπεχείρησας δ' εἰπεῖν, ὡς καὶ τὴν ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτυόνας πρεσβείαν ἐξομοσάμενος παρεπρέσβευσα, καὶ ψήφισμα τὸ μὲν ἀνέγνως, τὸ δ' ὑπερέβης.* Bens. vertit: „du hast aber auch die Behauptung versucht, als hätte ich — und dann fälschlicher Weise den Gesandten gemacht, und hast den einen Theil des Decrets vorgelesen, den andern aber weggelassen.“ Quod dicit: „ich hätte — fälschlicher Weise den Gesandten gemacht,“ minime aptum mihi quidem videtur. Ad Demosthenis enim verba haec potissimum referenda sunt ea, quae sequuntur (F. L. §. 126): *τηνικαῦτα ὁ σοφὸς καὶ δεινὸς οὑτοσὶ καὶ εὔφωνος οὔτε βουλῆς οὔτε δήμου χειροτονήσαντος αὐτὸν ᾤχετο πρεσβεύων κτλ.* Scribendum igitur erat: „ich hätte — unbefugter Weise den Gesandten gemacht.“ Sed hoc mittamus et vv. *τὸ μὲν ἀνέγνως, τὸ δ' ὑπερέβης* consideremus. Bens. igitur interpretatur: partem alteram decreti — alteram, exempla, ut videtur, sequens, qualia Kruegerus in Gramm. §. 50, 1, 7 affert. Fortasse autem hoc maxime inducebatur, quod *ψήφισμα* singulari numero est positum. At si, quod idem Kruegerus §. 50, 1, 6 exemplum e Platone desumptum: *Λέγεται ψυχὴ ἡ μὲν νοῦν ἔχειν, ἡ δὲ ἄνοιαν;* deinde Platon. Phaedr. p. 255 C: *πηγὴ — ἡ μὲν ἐς αὐτὸν ἔδυ, ἡ δὲ — ἀπορρεῖ;* Soph. Trach. 547: *ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω, τὴν δὲ φθίνουσαν* compares, singularis numerus non impedit, quominus duo decreta intellegamus. Duo autem facta esse decreta, recte ex iis, quae planissime disertissimeque Demosthenes ait (F. Leg. §. 172): *ἐπὶ — τὴν τρίτην πρεσβείαν δίς με χειροτονησάντων ὑμῶν δὶς ἐξωμοσάμην* collegit Schaeferus.***) Nisi quod virum doctissimum et Demosthenis alioquin studiosissimum Aeschini ab illo alterum plebiscitum consulto non allatum esse contendenti nimiam puto fidem tribuere. Quod enim Aesch. §. 139 (*τὴν τρίτην — πρεσβείαν — ἐφ' ἣν τολμᾷς με λέγειν ὡς οὐ χειροτονηθεὶς ᾠχόμην*) negat se non delectum fuisse legatum: quis hoc contendit? Nonne Demosth. de F. Leg. §. 121 sqq. diserte exponit, ad tertiam legationem Aeschinem quoque missum esse? Quod ei exprobrat, illud est, eum eiurato legati munere et fratre in locum eius suffecto, posteaquam res Phocensium iacere comperisset, velut si legatus esse non desisset, sine ullo cuiusquam mandato ad ceteros legatos se adiunxisse. Nec profecto quae Aeschines ad profligandam hanc criminationem profert, idonea sunt, quae adversarium redarguant. Quid enim de fratre pro se in legatione substituto†) ne unum quidem verbum facit? Imo exponere de hac re pergit, quasi ipse tum plane non deposuerit legati munus, nisi quod §. 95 verba *πρεσβεύειν ἡμᾶς τοὺς ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντας ἅπαντας* ei excidunt, quibus invitus imprudensque videtur concedere, alium quendam in vicem suam successisse.††) Nonne existimare debemus, veritum eum, ne, quomodo frater munere suscepto privatus esset,

*) V. Schaef. l. c. II, p. 183, 197, 231.

**) V. nunc etiam Rohdewald. Progr. Burgsteinfurt. 1867, p. 9, adnot. 16.

***) l. c. II, p. 263, adnot. 2.

†) Dem. de F. Leg. §. 124: *ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐξώμοσεν ἀρρωστεῖν τουτονὶ καὶ αὐτὸς ἐχειροτονήθη.*

††) v. Schaef. l. c. II, pag. 261 sq., adn. 2.

[illegible] [illegible] non posset probare, maluisse ne hoc quidem memorare, legationem omnino illi esse delatam? An Demostheni testanti, fratrem Aeschinis legatum creatum esse, fidem non habeamus? Schaeferus quidem ipse hoc facere non ausus est.*) Quae autem §. 65 orator dicit: *προσαναγκάζοντος τοῦ δήμου τοὺς ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντας ἅπαντας*, his ab ipso novam electionem non designari quisque videbit. Quid porro vir optimus ad ea, quae contendit, testimonia aut documenta qualiacunque non affert, ut Demosthenes? Scilicet non satis temporis ei est. De altera enim legatione est accusatus eaque ipsa potissimum criminatio diluenda. Itane vero? Num credis persuaderi nobis posse, o bone, te hanc occasionem adversario maxime inviso labeculam adspergendi, cum mentitum esse coargueres, praetermisisse? Quid ergo? quaeret fortasse quispiam, cur Demosthenes Aeschinem non etiam de tertia legatione in ius vocavit, quod, si ille potuisset, hic certo eum facturum fuisse §. 139 significat? Fateor equidem, ne mihi quidem de legatione illa omnia ita explorata certaque videri fuisse, ut, si quis Aeschinem esset accusaturus, id non frustra se facturum posset sperare.**) Quamquam variae possunt cogitari causae, quibus commotus Demosthenes actionem non instituerit, cum praesertim crimen, quod illi amplius triennio ante intulerat, etiamtum disceptatum non esset de altera legatione male gesta.

Utut autem haec sunt, propter eas, quas supra exposuimus causas, persuasum nobis est, non unum quidem, sed duo *ψηφίσματα* de legatis mittendis facta esse, sed tamen Aeschinem iniussu populi hanc legationem cum ceteris suscepisse. Itaque Benseleri convertendi rationem falsam existimamus esse.

Cap. 26, §. 96: *καὶ ταύτης τῆς πρεσβείας οὐ κατηγορεῖς μου διδόντος τὰς εὐθύνας, ἀλλ' ἐπὶ τὴν πρεσβείαν ἥκεις τὴν ἐπὶ τοὺς ὅρκους, ὑπὲρ ἧς ἐγὼ σαφῶς καὶ δικαίως ἀπολογήσομαι.* Hic locus quomodo legendus sit, multum inter se discrepant editores, neque ego mihi sumo, ut de hac re decernam. Verum si Schultzii lectionem de verbo *κατηγορεῖς* optimorum librorum plurimos sequentis probatur, tamen Bremii eandem lectionem habentis interpretationem probare nullo modo possum. Sic enim convertit: „Und gegen diese Gesandtschaft, für welche ich Rechenschaft abzulegen bereit bin, erhebst du keine Klage, sondern gehst zu der Gesandtschaft für die Eide über.“ At non solum verba *ἥκεις ἐπὶ τὴν πρεσβείαν* Benselerum apparet rectius sic reddere: „nur gegen die (Gesandtschaft) zur Eidesabnahme bist du aufgetreten“, ut saepe praepos. *ἐπὶ* post v. *ἥκειν* pro „adversus“ accipitur,***) sed praecipue verborum *διδόντος τὰς εὐθύνας* sententiam Bremius parum intellexit (Benselerus habet: *κατηγόρεις* eamque ob rem aliter haec verba ac nos vertere debuit). Hoc enim ordine mihi omnia inter se iungenda videntur: *οὐ κατηγορεῖς μου διδόντος τὰς εὐθύνας ταύτης τῆς πρεσβείας*, „non istius legationis rationes me referentem accusas“ sive: „non istius legationis rationes refero a te accusatus,“ †) quae sententia iis, quae sequuntur: *ἀλλ' ἐπὶ τὴν πρεσβείαν ἥκεις τὴν ἐπὶ τοὺς ὅρκους* fere postulatur.

---

*) l. c. II, p. 262.

**) Fortasse postquam legatio infectis rebus revertit, cum legatos eos, quos initio delegerant, mittendos tamen ad Philippum et Amphictyones censerent, Aeschinis absentis, quamvis ipse interfuisse se contioni contendat (§. 95), ut aegroti rationem non habuerunt. Notum est enim, tum cunctam civitatem sollicitatam et perterritam se a legatis de pace missis destitutos esse intellexisse. Vide Schaef. l. c. II, p. 262 sqq.

***) Cf. Plat. De rep. I: *ὥσπερ θηρίον ἧκεν ἐφ' ἡμᾶς.*

†) De participio actionem primariam continente v. Matthiaei Gramm. mai. §. 557, 1 p. 1296 (ed. III.).

Si quis autem ideo in verbis *διδόντος τὰς εὐθύνας* offendat, quod [illegible] torum rationes intra dies XXX referri solebant,*) in memoriam [illegible] §. 17[illegible], [illegible] ipse orator tum se rationes referre dicit (*δέκατος αὐτὸς πρεσβεύσας μόνος τὰς εὐθύνας δίδωμι*). — Ceterum etiamsi sic iungas: *οὐ κατηγορεῖς μου ταύτης τῆς πρεσβείας***) *διδόντος τὰς εὐθύνας*, i. e. „non de ista legatione me accusas rationes nunc referentem," tamen hae rationes non, quemadmodum vult Bremius, ad tertiam illam legationem pertinere putandae sunt. „Quas rationes," inquit, „refero, eas tu non de ista (tertia) poposcisti, sed de secunda, de qua perspicue me defendam."

Cap. 28, §. 101: *Ὡς δ' ἦμεν ἐν Μακεδονίᾳ καὶ συνήλθομεν εἰς ταὐτὸν καὶ Φίλιππον ἐκ Θρᾴκης παρόντα κατειλήφεμεν, ἀνεγνώσθη μὲν τὸ ψήφισμα, καθ' ὃ ἐπρεσβεύσαμεν καὶ τὰ προστεταγμέν' ἡμῖν πρὸς τῷ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν συνηριθμούμεθα.* Apud Benselerum legimus: „Als wir nun in Makedonien waren und uns versammelt und Philippen nach seiner Ankunft aus Thrakien angetroffen hatten, wurde unser Bestallungsdecret als Gesandte verlesen ꝛc." Qui ordo rerum in protasi! Quisque intellegit, si ipsam rerum naturam reputat, cum in sententiis primariis de iis, quae in concilio legatorum acta sint, referatur, inter enuntiata: *συνήλθομεν εἰς ταὐτὸν* et: *ἀνεγνώσθη μὲν τὸ ψήφισμα* non illud: *Φίλιππον ἐκ Θρᾴκης παρόντα κατειλήφεμεν* interseri potuisse: nisi forte scholiastae quae videtur esse opinio, ei adstipulatur. In scholiis enim codicis Coisliniani ad verba *ἀνεγνώσθη μὲν τὸ ψήφισμα* scriptum est: *εἰ μὴ γὰρ ἀνέγνω ὅτι Φίλιππος καὶ ἐπείσθη ὅτι ἡ πόλις ἐψηφίσατο* (*τὸ ψήφισμα* scil.), *οὐ παρεῖχεν αὐτῶν ἀπόκρισιν*, qua adnotatione nescio, quid dicere velit scholiastes, nisi coni. *ὅτι* ante v. *Φίλιππος* deleatur, pro qua, cum in codd. per compendium litera *ο* parvulo *τ* superposito scribi soleat,***) articulus *ὁ* substituendus erit (pro *ἀπόκρισιν* fortasse *ἀκρόασιν*?). Si recte video, scholiastes igitur opinatur plebiscitum, quo mandata legatis ab Atheniensibus data erant, a Philippo esse lectum, deinde illos deliberationem habuisse: quae tamen inepta opinio est. Legatos enim Atheniensium orator ait aliquando coisse, ut, quae sibi essent mandata et quomodo optime perficerent, inter se deliberarent. Sic Schaeferus quoque (l. c. II, p. 238) locum accipit. Et quidem paulo ante quam ad regem aditus daretur, illum consessum fuisse, ex eo colligi poterit, quod ibi de Philippo bellum adversus Graeciam parante mentio fiebat (§. 103: *περὶ τῆς εἰς Πύλας στρατείας, ἣν ὁρᾶτ' οὖσαν ἐν παρασκευῇ*, cf. §. 107: *πορεύεται Φίλιππος εἰς Πύλας*). Atque adeo tum rex iam ex Thracia potuit revertisse,†) ut non opus sit, enuntiatum: *καὶ Φίλιππον ἐκ Θρᾴκης παρόντα κατειλήφεμεν* a quopiam interpositum arbitrari. Contra scholiastae interpretationem huius loci pugnant etiam particulae *μέν — δέ*, quarum cum illa sententiae: *ἀνεγνώσθη τὸ ψήφισμα* sit adiuncta, haec post coniunctionem *ὡς* inserta, elucet omnia, quae a v. *ἀνεγνώσθη* usque ad vv. *εἶπον ἐγὼ λόγους κτλ.* narrantur, eodem loco facta esse easque ipsas particulas has partes agere, ut orationem Aeschinis in conventu habitam, et quae antea illic legati fecerint, distineant. — Ex his igitur omnibus efficitur, ut initio §. 101 sententiarum ordinem invertendum censeamus. Id necesse esse, unus Bremius, quod sciam, vidit, qui in editione Aeschinis ille quidem nihil mutavit,

---

*) Cf. Boeckhii Oecon. Ath. I, p. 205 sq. (ed. I.)

**) Cf. Kruegeri Gramm. gr. 47, 24, 2.

***) V. Bastii comm. palaeogr. p. 782; Wattenbach. Palaeogr. Graec. II, p. 17.

†) nisi quod fortasse Pellam nondum pervenerat, quod ex §. 108 (*παρῆν δ' ὁ Φίλιππος*) cogimus.

[illegible] Germanice, quam postea excudi iussit, nulla tamen adnotatione adiecta [illegible]: „Als wir aber in Macedonien angelangt waren und den Philippus, der aus Thracien zurückgekommen war, getroffen hatten, und wir zusammengetreten waren, wurde der Beschluß ꝛc."

Cap. 28, §. 104. In legatorum consessu, quem Aeschines, antequam cum rege agerent fuisse narrat, inprimis se ait ad illum decreti locum animos collegarum advertisse, quo iuberentur, quidquid boni possent, id perficere. Hac parte mandati certo significari, ipsis agendum esse, ut Thebanorum insolentia compesceretur. Athenienses autem idcirco verbis minus definitis usos esse, ne, si Philippo non persuasissent, incommodum inde populo exoriretur, qui ita locum illum ad quodcunque aliud referre posset. Deinde pergit dicere: *ἐν ἡμῖν δ' ἀποκινδυνεύειν ᾠήθησαν δεῖν.* Quod cum Benselerus vertat: „und (sie haben) geglaubt, es sei an uns, einen Versuch damit zu machen," nescio prorsus, quomodo hanc sententiam verbis oratoris contineri putet. Minimum pro verbo *δεῖν* verbum *εἶναι* ei erat ponendum, quamquam *ἐν ἐμοί ἐστιν* non solet significare: „est meum officium," sed „penes me est." Neque Bremius locum recte interpretari videtur: „(sie haben) geglaubt, daß wir für uns Etwas versuchen müssen." Primum enim ita *ἐν ἡμῖν* pro *ἡμᾶς ἐν ἡμῖν αὐτοῖς* scriptum esset, deinde ne posse quidem valere id, quod vult Bremius, puto. Propius ad veritatem Wolfius (et Muellerus) accedere videtur, qui latine transfert: „nostro periculo rem explorandam censuit." Cur Reiskium non secuti sunt viri docti, qui in indice editionis (translatio eius mihi praesto non est) *ἀποκινδυνεύειν ἔν τινι* explicat: „periculum facere in aliquo"? Recte id quidem, ut ex locis his apparebit: Xenoph. Memor. 4, 2, 5: *πειράσομαι ἐν ὑμῖν ἀποκινδυνεύων μανθάνειν (τὴν ἰατρικήν)*; Xen. Anab. 5, 8, 15: *ἐν ἐμαυτῷ οὖν πεῖραν λαβὼν ἐκ τούτου καὶ ἄλλον, ὁπότε ἴδοιμι καθήμενον καὶ βλακεύοντα, ἤλαυνον*; Plat. Phileb. 21, a: *οὐκοῦν ἐν σοὶ πειρώμεθα βασανίζοντες ταῦτα.* — Itaque enuntiatum, de quo quaeritur, sic erit interpretandum: „in nobis autem censebant periculum faciendum (mit vel an uns sei ein Versuch zu machen), scil. numquid regi Macedoniae persuaderi posset, quod ex iis, quae praecesserunt: *ἂν μή τι πείθωσιν*, facile intellegitur.

Cap. 32, §. 117: *εἰ δ' ἐπεξελθὼν δυνάμει βεβαιώσεις τὰ Θηβαίων ἀδικήματα, παρ' ὧν μὲν βοηθεῖς, οὐκ ἀπολήψει χάριν· — οὓς δ' ἐγκαταλείψεις, ἀδικήσεις, χρήσει δ' ἐχθροῖς μείζοσιν, ἀλλ' οὐ φίλοις.* (Schultz.) Primum pauca de fine huius loci dicenda videntur. Librorum satis multorum eorumque non spernendorum lectione *χρήσει ἐχθροῖς* pro *χρήσει δ' ἐχθροῖς* ductus Lobeckius ad Phryn. pag. 715 correxit *ἀδικήσας* eumque omnes fere editores recentiores (Bekk., Dind., editt. Turicc., Frank., Muell.) secuti sunt. Neque ego, si verba *ἀλλ' οὐ φίλοις* abessent, maxime hanc emendationem nego me comprobaturum esse. Nunc autem quid sibi volunt haec verba? Num quis poterat opinari, quos deseruisset, quosque iniuria affecisset, eos sibi amicos fore? An Philippus? Imo vero fere ridicula talis adiunctio est nec, nisi deleas simul vv. *ἀλλ' οὐ φίλοις*, ullo modo altera illa mutatio fieri potest. Itaque optimo iure Schultzius ad pristinam lectionem revertit, qua scholiastas quoque usos esse ex eo, quod ad vv. *χρήσει δ' ἐχθροῖς* adnotaverunt: „*τοῖς Θηβαίοις*" constat. — Sed alia quoque nonnulla de interpretando hoc loco habeo quae moneam. Aeschines enim in ea, quam coram rege se narrat (§. 113—117) habuisse oratione, praemissis paucis de Demosthenis calumnia, quam ille vocat, collegis facta et de mandatis acceptis a populo copiosius, quae de expeditione ad Pylas, de sacris, de Delphis, de Amphictyonibus verba fecerit, exponit, cuius partis sententiae principales

2*

mihi videntur hae esse: „Si tu," inquit, „quamvis non armis, sed suffragio potissimum et iudicio rem componi velim, tamen vi et armis uti cogitas, oro te, ut Amphictyones h. e. praecipue Thebanos cogas, urbes Boeotias dirutas, quae in Amphictyonibus fuerant, restitui sinere; suppletis autem ad iustum numerum Amphictyonibus ut in concilio omnium de auctoribus huius belli, de iis ipsis, non de urbibus patriis eorum, qui occupando principio templo manus admoverint aut ut occuparetur suaserint, cognoscatur decernaturque." Hic igitur pergit Aeschines: *εἰ δ' ἐπεξελθὼν κτλ.* Quid aliud orator post ea, quae nostra sententia praemisit, volet dicere, nisi hoc: „Sin autem, quamquam exercitu rem eris executus h. e. ad finem perduxeris, tamen Thebanorum iniurias confirmabis, ab his quidem ipsis, quod ingrati sunt, gratiam non capies neque amici tibi erunt, sed inimici infestique, atque eo maiores et potentiores, quoniam cum exercitu terram ingressus nihil adversus eos ausus eris; quos autem deseres, eos iniuria afficies ideoque tibi amicos eos non fore per se intellegitur. Itaque et inimicos potentiores (quum praesertim facile fieri possit, ut Thebani cum civitatibus destitutis coniungantur), neque ullos amicos habebis (nec Thebanos nec ceteros)." Non opus est autem, ad v. *χρήσει* ante *ἐχθροῖς*, id quod scholiastes facit, *τοῖς Θηβαίοις* intellegere, qui quidem non soli inimici erunt, nam ceteros quoque dictum est infesto in eum animo fore. — Verbum *χρῆσθαι* cum uno dativo iungi, ut „habendi" notionem contineat, e locis his Xenophonteis apparet: Sympos. 2, 10: *Καὶ ὁ Ἀντισθένης, πῶς οὖν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οὕτω γιγνώσκων, οὐ καὶ σὺ παιδεύεις Ξανθίππην, ἀλλὰ χρῇ γυναικὶ τῶν οὐσῶν, οἶμαι δὲ καὶ τῶν γεγενημένων καὶ τῶν ἐσομένων χαλεπωτάτῃ;* Cyrop. 3, 2, 4: *Ἢν γὰρ φθάσωμεν πρὶν τοὺς πολεμίους συλλεγῆναι ἀναβάντες, ἢ παντάπασιν ἀμαχεὶ λάβοιμεν ἂν τὸ ἄκρον ἢ ὀλίγοις καὶ ἀσθενέσι χρησαίμεθ' ἂν πολεμίοις;* 4, 4, 7: *πρῶτον μὲν γὰρ νῦν οὐκ ἂν φυλάττεσθαι οὐδὲ φυλάττειν τούτους ἡμᾶς δέοι, οὐδ' ἂν σιτοποιεῖν τούτους (οὐ γὰρ λιμῷ γε δήπου ἀποκτενοῦμεν αὐτούς), ἔπειτα δὲ καὶ τούτους ἀφέντες πλείοσιν αἰχμαλώτοις χρησόμεθα.*

Ad singula transeamus. Benselerus ad verba *ἐπεξελθὼν δυνάμει* adnotat: „Bremi: „„wenn du mit Heeresmacht ausrückest."" Das war aber jeden Falls beschlossen und nicht mehr zu ändern. Unsere Uebersetzung folgt daher der Erklärung des Scholiasten." At cum vertit: „Wirst du aber mit deiner Macht weiter gehen und die Thebaner in ihren Unthaten bestärken rc.", num sic scholiastas sequitur, haec scribentes: „*ἐπεξελθὼν οἷον ἐπὶ πέρας ἐλθὼν τοῦ ἔργου*" et: „*οἷον ἐκπολιορκήσας· ἐπεξελθεῖν γὰρ λέγουσι τὸ ἐπὶ πέρας τινὸς ἐλθεῖν?*" Imo dicere mihi videntur, in verbo *ἐπεξέρχεσθαι* inesse notionem ad finem perducendi aliquid, hoc loco rem sive bellum, vel si „terram" intellegas, notionem expugnandi (cf. nostrum: mit Etwas fertig werden). — Porro *τὰ Θηβαίων ἀδικήματα* scholia referunt ad ea, quae Thebani in Phocensibus et in templo Delphico peccaverint. At cum in hac tota orationis parte Aeschin. de urbibus Boeotiis restituendis dixerit — quod idem, ut hae urbes instaurarentur, iam §. 103 sqq. in privato legatorum concilio quam maxime agendum se exposuisse narravit*) —: his quoque verbis nihil aliud significare videtur, quam iniurias a Thebanis Plataeensibus et Thespiensibus illatas. Non igitur sententiae proxime praecedenti: *αὐτοὺς τοὺς χειρουργήσαντας (ἠξίουν δίκης τυχεῖν) . . . ἀζημίους εἶναι* sententiam conditionalem *εἰ δ' ἐπεξελθὼν . . . ἀδικήματα* oppositam esse censeo, sed illi genetivo absolute posito: *συλλεγέντων τῶν Ἀμφικτυόνων (πάντων* scil., in his

*) Cf. etiam §. 119.

[illegible] Boeotiarum omnium). — Denique ne verba *ἐχθροῖς μείζοσι* quidem nec a Bremio nec a Benselero recte intellecta sunt. Neque enim quos nos „eifrigere Feinde" (Brem.), neque quos „größere Feinde" (Bens.), h. e. inimiciores vocamus, Graece sic appellantur, sed *μείζονες ἐχθροὶ* sunt inimici maiores h. e. potentiores, quod iam H. Wolfius vidit. Nescio, an restet, ut addam, quomodo Germanicam Benseleri tralationem loci mutandam ego existimem. Verto sic fere: „Wirst du aber, ob du gleich mit Heeresmacht die Sache beendigt, die Thebaner in ihren Frevelthaten bestärken, so hast du auf der einen Seite von deinen Schützlingen keinen Dank zu erwarten, — auf der andern Seite wirst du denjenigen, die du im Stiche lässest, Unrecht thun, und du wirst so dort mächtigere Feinde, aber keine Freunde haben."

Cap. 39, §. 139: *οὐ πολλῷ κάλλιων οὗτος ἦν ὁ καιρὸς ἐκείνου, ἐν ᾧ διὰ τὴν σὴν ἀνανδρίαν καὶ ἅμα φθόνον ἐσκευαγώγησαν ἐκ τῶν ἀγρῶν Ἀθηναῖοι κτλ.* Huic toti loco, postquam Hamakerus (Mnem. VII, p. 469 sq.) in eo, quod praecedit, enuntiato particulam *ἢ* in h codice (postea etiam in v. et Flor. repertum est) interpositam restituendam vidit et *οὔπω* ante vv. *παραδόντος Φαλαίκου* ab editoribus receptum est, Schultzius et praecipue Frankius, vir clarissimus, his ultimis temporibus demum lucem attulerunt.*) Et Frankius quidem, cum intellegeret, *ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ ἐσκευαγώγησαν Ἀθηναῖοι* non posse diversum esse ab eo, quo *ἤκμαζον — τῇ μανίᾳ Φωκεῖς* (Lectt. Aesch. p. 475), in literis ad Schultzium datis (v. Schultz. l. c. p. 511) vv. *ἐν ᾧ* non ad *ἐκείνου*, sed ad *οὗτος ὁ καιρὸς* statuit esse referendum. „Die zweite Zeit," inquit, „(Philipps Aufforderung zum Zuzug, nach dem 16. Skirophorion) liegt der dritten (27. Skirophorion) nahe genug, daß Aeschines sich erlauben konnte, beide wie eine und dieselbe zu betrachten (seine Gesandtschaft fällt in beide Zeiten), und der Gedanke gewinnt offenbar durch diese Beziehung." Quae interpretatio, ut illic Schultzio, sic nobis quoque probatur. Sed si de relatione pronominis relativi est constitutum, restat, ut, ad quid pronomen demonstrativum *οὗτος* respiciat, quaeri possit. Ut enim nunc distinguitur commate post *ἐκείνου* posito, fere nemo, nisi moneas, *ἐν ᾧ* non ad *ἐκείνου* refert. Quod ut prohibeatur, propono, ut post *ἐκείνου* signo interrogationis distinguatur. Nec vero solae distinguendi notae aguntur, sed maiore illo post *ἐκείνου* posito signo efficitur, ut *οὗτος ὁ καιρός* non ad sententiam secundariam quae sequitur spectet, sed ad tempus, quod in praecedente enuntiato verbis *μεταπεμπομένου μὲν Φιλίππου, ὅρκων δ' ἡμῖν καὶ συμμαχίας γεγενημένης, Θετταλῶν δὲ καὶ τῶν ἄλλων Ἀμφικτυόνων στρατευόντων* designatur. Itaque quae sententia incipit vv. *ἐν ᾧ*, si C. G. Kruegeri divisionem sententiarum relativarum sequimur, in earum, quas „Relative Nebensätze" appellat (Gramm. gr. §. 54, 13, adnot. 1), numero habenda est et pronomen relativum putandum positum esse pro demonstrativo addita particula aliqua sententias connectente. Et particula quidem adversativa contineri pronomine videtur, quod quamquam rarius fit, tamen in hac ipsa oratione duobus aliis locis praeter hunc invenitur. Cf. §. 65: *λόγον δὲ μὴ προτιθέναι, ἐν ᾧ μέ φησιν αὐτὸς Φιλοκράτει συνειπεῖν*, ubi Bekkeri emendatione *ἐν ᾗ* opus non erat et Schultz. iure ad librorum scripturam revertit, et §. 123: *φὴς γάρ μ' ἐν μὲν τῇ πρώτῃ πρεσβείᾳ λαθεῖν σαυτὸν συνεστηκότ' ἐπὶ τὴν πόλιν, ἐν δὲ*

*) Cf. Frankii Lection. Aeschin. p. 474 sqq.; Schultzius in Annalibus societatis praecept. gymnas. Berolinens. 1862, p. 241 sqq. et p. 509 sqq.

τῇ ὑστέρᾳ αἰσθέσθαι, ἐν ῇ συναγορεύων μοι φαίνει. Vortendum igitur censeo: „War dieser Zeitpunkt nicht besser als jener? Und doch brachten damals ꝛc.“ *)

Cap. 42, §. 147: σὺ μὲν οὖν, ὦ Δημόσθενες, ταῦτ' ἐπλάσω ἐπ' ἐμέ, ἐγὼ δ' ὡς καλῶς ἐπαιδεύθην καὶ δικαίως ἐξηγήσομαι. De particulis μὲν οὖν in tribus enuntiatis continuis ter repetitis, etsi nescio an etiam adversus libros hoc loco cum Frankio aliisque sint delendae, sive cum eodem et editoribus Turicensibus pro οὖν: γάρ reponas, sive nihil, ut Bekkerus et Dindorfius, tamen ut decernam mihi non sumo. — Alio etiam haec sententia laborat vitio, quod continetur verbis ὡς ἐπαιδεύθην. Sic enim in libris manuscriptis legitur, quos Wolfius et Muellerus, Bekkerus, Benselerus sequuntur, ita tamen, ut diversa inter se ratione interpretentur. Primi enim duo latine convertunt: „ego vero, ut educatus sim, vere exponam (partic. καὶ plane neglecta). Similiter Benselerus (ich will aber auch schlecht und recht erzählen, wie ich erzogen worden bin), nisi quod et particulam καὶ a verbo δικαίως seiunctam ad verba ὡς ἐπαιδεύθην refert, quod valde dubito num fieri possit, et particula ὥς cum accentu vult efferri. Bekkerus autem, qui in edit. tom. V, Corrig. p. 698 ad καλῶς adnotat: „Frustra, nam ὡς ἐπαιδεύθην i. q. πεπαιδευμένως,“ interpretari videtur: ut educatus, eruditus sum, h. e. erudite. Alii, ut Reiskius, Schultz. quoque, cum Marklando inter ὡς ἐπαιδεύθην intexerunt καλῶς, quod cum καὶ δικαίως coniungunt. Bremius asterisco deesse vocabulum ille quidem statuit, sed hic quoque, ut Reiskius, καλῶς vel ὁσίως vel aliud synonymum addi posse arbitratur et in translatione Germanica haec habet: „ich aber werde auseinandersetzen, wie (gut und) rechtlich ich erzogen worden.“ Contra Frankius in praefatione edit. Aesch.: „Latet,“ inquit, „adhuc vitium.“ Cui assentior. Proditionis enim insimulationem refutaturus orator §. 146 contenderat necesse esse, si ipse patriam prodidisset, hominem se esse ferum atque impium aliisque vitiis iam ante illud tempus contaminatum. Quod tamen longe aliter se habere. Nam vitam quidem suam et quotidianam consuetudinem (honestas scil.) cives omnes cognitas habere, res vero plurimis ignotas plerasque sibi dedecori non esse nunc sese demonstraturum. Quas autem has res vulgo minus perspectas intellegat, cum ipse Aeschines significat verbis ἵν' εἰδῆτε τὰς ἐμὰς παρακαταθήκας, ἃς οἴκοι καταλιπὼν εἰς Μακεδονίαν ἐπρέσβευσα — quae enim alia a se, cum legatus in Macedoniam iret, pignora relicta dixerit, quam patrem, liberos, fratres, propinquos, non video — tum ex iis colligitur, quae porro exponit. Atqui §§. 147—152 educationem suam et disciplinam ne uno quidem verbo tangit, sed totum, quo ortus sit, genus et cognatos affinesque deinceps nulla macula adspersos esse ostendit. Itaque luce clarius est, vv. ὡς ἐπαιδεύθην hoc loco minime quadrare: nisi forte cum Bekkero eandem sententiam subicias, quam adverbium πεπαιδευμένως habet, quod dubito an fere nulli probetur. Imo quae antecedit sententia: σὺ μὲν οὖν ταῦτ' **) ἐπλάσω ἐπ' ἐμέ, h. e. idem fere quod apud Platonem Apol. 20, 3: (ψεύδεταί τε καὶ) ἐπὶ τῇ διαβολῇ τῇ ἐμῇ (λέγει), postulat, ut sequatur: „ego autem vera dicam“ vel simile quid. Nec mihi dubium est, quin auctor scripserit: ὡς ἐπ' ἀληθείᾳ καὶ δικαίως ἐξηγήσομαι. Particulam ὡς puto, ut saepe, paene supervacaneam esse nec

*) Quamquam haec scripta sivi prelum subire, tamen libenter fateor, nunc postquam Rohdewaldi de hoc loco orationis quaestionem diligentissimam iterum ac saepius legi, mihi Frankii et Schultzii interpretationes ac coniecturas illa valde videri labefactatas esse. V. Progr. Burgsteinfurt. 1867, p. 16 sqq.

**) sc. quae ad gentem meam pertinent.

nisi cogitationem vel consilium eius, qui agens infertur, significare. Cf. Sophocl. Oed. R. 1174 (edit. Schn.): *ὡς πρὸς τί χρείας;* Trach. 1182: *ὡς πρὸς τί πίστιν τήνδ' ἄγαν ἐπιςρέφεις;* Xen. Hell. I, 6, 5: *ἐγὼ δὲ ὑπὸ τῆς πόλεως ὡς ἐπὶ τὰς ναῦς πεμφθεὶς, οὐκ ἔχω τί ἄλλο ποιῶ ἢ τὰ κελευόμενα κτλ.* (§. 1: *ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν*). — *Ἐπί* autem praepositione aut ratio et conditio aut consilium aut simul utrumque designari videtur, ut Aeschyl. Suppl. 611 sqq. (ed. Herm.): *Ζεὺς δ' ἐφορεύοι ξένιος ξενίου στόματος τιμᾶς ἐπ' ἀληθείᾳ τέρμον' ἄμεμπτον πρὸς ἅπαντα;* Demosth. VI (adv. Phil. II) p. 68, 12: *ἡγεῖτ' οὖν, εἰ μὲν ὑμᾶς ἕλοιτο φίλους, ἐπὶ τοῖς δικαίοις αἱρήσεσθαι* et VIII (de Chers.) p. 92, 9: *οἶμαι μέντοι δεῖν, εἴπερ ὡς ἀληθῶς ἐπὶ πᾶσι δικαίοις ταῦτα συμβουλεύουσι κτλ.* Fortasse etiam similiter atque in his ultimis exemplis in Aeschinis quoque, de quo quaeritur, loco concinnitatis causa scribendum sit: *ὡς ἐπ' ἀληθείᾳ καὶ δικαίῳ.* Non ignoro equidem dativum singul. generis neutrius adiect. *δίκαιος* non facile nisi addito articulo vicem substantivi obtinere posse; at primum hoc loco articulo idcirco minus opus sit, quod substantivum *ἀληθείᾳ* praecedat, deinde hoc ipsum *δίκαιον* sine articulo e. c. apud Thucydidem substantivi loco positum invenitur V, 18, 3: *ἢν δέ τι διάφορον ᾖ πρὸς ἀλλήλους, δικαίῳ χρήσθων καὶ ὅρκοις καθ' ὅτι ἂν ξυνθῶνται.*

Cap. 45, §. 158: *ἐάσετ' οὖν αὐτὸν τὸν τοιοῦτον αὑτοῦ προςτρόπαιον, μὴ γὰρ δὴ τῆς πόλεως, ὥστ' ἐν ὑμῖν ἀναστρέφεσθαι;* Marklandus apud Reiskium ad hunc locum adnotat: „*ὥστε* abesse potuit et, opinor, debuit: natum ex praecedentibus et subsequentibus literis." At particulam non debere abesse, iam Reiskius vidit ceterique, qui tamen in eo plerumque errarunt, quod, ut hic, ita multis aliis locis simpliciter abundare existimabant, God. Hermannus (ad Vig. 945), quod etiam vim infinitivi saepe sic augeri arbitrabatur, ut interpretari possemus „vel s. adeo." Contra hos Ellendtius in Lex. Soph. s. v. *ὥστε*, quae vis esset coniunctionis, ubi abundare visum esset, explicavit docuitque, his locis effici (vel fieri) aliquid dici ideoque eventum designari. Itaque *ἐάσετε αὐτὸν ὥστε ἐν ὑμῖν ἀναστρέφεσθαι* optima Graecitate significat: num fieri patiemini, ut inter vos versetur?*) (Reiskius perperam *ἐάσετε* accepit *ἀζήμιον καὶ ἀθῷον ἀφήσετε;* vide etiam Bremii adnot.) Tamen, id quod Marklandus coniecit, *ὥστε* ex praecedentibus et subsequentibus literis natum esse, cum per se veritatis specie non careat, tum hac, quae in omnibus scholiis invenitur, adnotatione videtur confirmari: *τὸ δὲ ἐν ὑμῖν πρὸς τὸ ἐάσετε συντακτέον.* Qua non illud dici potest, pronomen *ὑμῖν* ad pronomen personale sec. personae, quod contineatur verbo *ἐάσετε*, referendum, cum, quotiescunque pronom. *ὑμεῖς* adhibetur, per se intellegatur, eo Athenienses appellari. Sequitur, ut scholiasta verbis *ἐν ὑμῖν* primas vocum sententiam interiectam (*μὴ γὰρ δὴ τῆς πόλεως*) excipientium, quibus sententia primaria (*ἐάσετε κτλ.*) continuatur, denotet, hac ratione, ne quis putet verbo *προςτρόπαιον* primariam sententiam iam absolutam, quaeque sequantur, omnia inter se coniungenda esse; *ὥστε* igitur ab Aeschine non scriptum censeo.

Adv. Tim. cap. 52, §. 128. Librorum scriptura haec est: *καὶ οὕτως ἐναργές ἐςι καὶ οὐ πεπλασμένον ὃ λέγω, ὥσθ' εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τοὺς προγόνους φήμης ὡς θεοῦ μεγίστης βωμὸν ἱδρυμένους κτλ.* Ad haec Frankius in edit. praef.

*) Conf. etiam Scheibii observv. in oratores Atticos Hal. Sax. 1836, p. 29 sq.

scribit: „*καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τοὺς προγόνους* corrupta sunt. — Mihi Aesch. neque vv. *τοὺς προγόνους* addidisse et *ἱδρυμένην* scripsisse videtur.“ Schultzius legit: *καὶ τοὺς προγόνους* omissis verbis *καὶ τὴν πόλιν*. Hamakerus: *κἂν τῇ πόλει ἡμῶν τοὺς προγόνους*. Quid tandem? si *καὶ* particulam pro „et quidem“ positam accipiamus vocemque *προγόνους* ab oratore vel lectore ita cum accentu elatam cogitemus, ut dicatur: „Quae vero de fama exposui, tam evidentia sunt, ut videatis civitatem nostram, neque hanc quidem, quae nunc est vel paulo ante fuit quamque permulti sunt, qui vituperent, sed illos ipsos maiores nostros, quos exemplaria imitanda nobis proponimus, aram Famae consecrasse?“ V. *καὶ* autem tali ratione (*ἐπεξηγητικῶς*) in usu fuisse, nemo nescit, et vix est quod conf. iubeam Ellendt. Lex. Sophocl. I, p. 890 et quos citat.

Cap. 60 sq., §. 150 sqq. Quamquam qui attentius Aeschinis orationes legerit, Dionysio Halicarn. adstipulabitur, qui (de vet. script. censura V, 5): „*Ὁ δ' Αἰσχίνης*,“ ait, „*οὐ πάνυ μὲν ἔντεχνος, τῇ δὲ παρὰ τῆς φύσεως εὐχερείᾳ κεχορηγημένος*,“ *) tamen non ita pauca in orationibus, quales traditae sunt, inveniuntur, quae ferri vix posse videantur. In his id quoque numerandum puto, quod non raro eadem vocabula in compluribus sententiis continuis repetuntur. Itaque recte fecisse et Schultzius videtur, quod e. g. §. 165 *ἤδη* in libris ante *τινές* scriptum, et Frankius, quod in oratione de F. Leg. §. 147 *οὖν* delevit, sed eadem ratio nescio an et huius quoque loci et aliorum quorundam sit. Quis enim persuadere sibi potest, qua Aeschines rursus suavitate orationis dicitur fuisse, eum ter particula *τοίνυν* sententias inter se connexisse? Tertium quidem *τοίνυν*, quod est post *πάλιν* (§. 152), utique delendum censeo. Item in hac sententia §. 146: *ἐπισκήπτει μὲν γὰρ αὐτῷ, προειπών, ὅτι οὐδ ἐκεῖνος ἀπέχει μακρὰν τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, εἴ πως εἴη δυνατόν, προδιοικήσασθαι, ὅπως τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ καὶ ἐτράφησαν καὶ ἐβίωσαν ἐν ταὐτῷ, οὕτω καὶ τελευτησάντων αὐτῶν τὰ ὀστᾶ ἐν τῇ αὐτῇ σορῷ κείσεται κτλ.* verba *ἐν ταὐτῷ* ex illis emblematis et interpolationibus esse videntur, quibus, ut ait Cobetus (Novae Lection. praef. p. XV) „olim scioli et magistelli et otiosi lectores libros suos suo arbitratu oppleverunt, quas deinde librarii oscitantes receperunt in textum, quo factum est, ut saepissime in veterum libris et sententia et oratio inficetis et insulsis additamentis impedita sit et onerata.“ — Neque aliter de §. 164 iudicandum erit, ubi legitur: *ἔπειτ' οὐ πολλὴ κραυγὴ παρὰ τῶν δικαστῶν αὐτῷ ἀπαντήσεται; τίς γὰρ οὐκ ἐρεῖ· ἔπειτ' ἐμβάλλεις εἰς τὴν ἀγορὰν κτλ.*, nisi forte pro altero *ἔπειτα*, vel, quod codd. plurimi exhibent, *ἐπήν* mavis legere: *ἔτ' οὖν*.

Cap. 65, §. 159: *Ἐπειδὴ δ' ἑκατέρων προελόμενός τινας διεξελήλυθα, χωρὶς μὲν τοὺς διὰ σωφροσύνην ἐρωμένους, χωρὶς δὲ τοὺς εἰς ἑαυτοὺς ἐξαμαρτάνοντας, ὑμεῖς ἤδη κτλ.* Legenti mihi hunc locum in mentem venit aliud viri egregii Cobeti dictum (l. c. p. X): „Non est hoc,“ inquit, „magnopere mirandum, sinceras antiqui sermonis formas in libris obliteratas esse, sed multo magis mirabile est, quomodo homines docti futilium testium et nunquam sibi constantium aut inter se consentientium auctoritatem secuti tam diu ferre potuerint formas vitiosas, quibus veteres Atticos nunquam usos esse certis indiciis et argumentis liquido constet, quibus nihil aliud opponi potest praeter

---

*) Conf. etiam Stechow. de Aesch. orat. vita, Berol. 1841, §. 7, p. 14: „Quae quidem virtutes quum bona indole potissimum ei contigissent, orationes non habent multi laboris speciem, sed tamquam ex animi inflammatione impetuque divino prodiisse videbantur etc.“

„„veterum membranarum fidem““ sexcenties omnium consensu in manifesta fraude deprehensam.“ Atque ut ipse l. c. p. 643 e. g. in huius oratoris oratione de F. Leg. §. 125 adversus omnes codd. manuscr. *ἄνθρωπος περὶ τὸ γράφειν λόγους μέγα φρονῶν* exhibentes vult legi *ἐπὶ τῷ γράφειν*, quod olim iam a Wolfio commendatum ab editoribus repudiatum erat — Schultzius denique *ἐπὶ τῷ* recepit —: sic hoc quoque loco adversus omnes libros praeter unum Parisinum 1, qui tamen inter optimos numeratur, *διὰ σωφροσύνης* scribendum erit. Nihil enim aliud dici verbis *τοὺς διὰ σωφροσύνης ἐρωμένους* quam *τοὺς σωφρόνως ἐρωμένους*, ex §. 151 evidens est: *ἕν τι τῶν καλλίστων ὑπολαμβάνων εἶναι τὸ σωφρόνως ἐρᾶν κτλ.* Adverbii autem modum designantis notionem si pluribus verbis explicare velis, praepositioni *διά* non accusativum sed genetivum adiungendum, ut in *διὰ σπουδῆς, διὰ ταχέων, δι' ὀργῆς, δι' ἔχθρας, διὰ φόβου, δι' ἡσυχίας, δι' ἀσφαλείας* etc. (v. Matthiaei Gr. gr. mai. §. 580 g.), notum est.

Cap. 73, §. 177. Aeschines ad interrogationem ab ipso positam, cur leges quidem Atheniensium bene se haberent, decreta vero et sententiae iudiciorum minus bene, respondens: *ὅτι*, inquit, *τοὺς μὲν νόμους τίθεσθ' ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαίοις, οὔτε κέρδους ἕνεκ' ἀδίκου οὔτε χάριτος οὔτ' ἔχθρας, ἀλλὰ πρὸς αὐτὸ μόνον τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον ἀποβλέποντες κτλ.* Quid sit *ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαίοις*, quaerimus. Atque de significatione adiect. *δίκαιος* cum articulo generis neutrius substantive positi haec cum ab aliis tum ab Aeschine observata reperimus: Singulari numero 1) universe de iusti notione dicitur, ut hoc eodem loco *αὐτὸ μόνον τὸ δίκαιον*, in Ktesiph. §. 16: *τὸ τοῦ νόμου δίκαιον*, ibid: §. 20: *κανὼν τοῦ δικαίου;* 2) de re iusta sive de potestate vel natura vel lege data, ut in Ktesiph. §. 7: *καὶ τοῦτ' ὑμῶν τὸ δίκαιον μηδέν' ἀνθρώπων ἐξαιρεῖσθαι.* Plurali quoque numero non solum de rebus iustis compluribus in usu est, sed praecipue etiam de summa omnium, quae iusta agnoscuntur, qua ex summa cum mente comprehendamus, quid in universum iustum sive ius sit, sequitur, ut *τὰ δίκαια*, hac significatione positum, a *τὸ δίκαιον* paulum tantum absit. Recte igitur videtur Aeschinis in Tim. §. 61 *τῶν δικαίων τινός* a Wolfio et Muellero conversum esse „aliquid aequi.“ Atqui in ea quoque, de qua quaestio est, Aeschinis sententia verbis *τὰ δίκαια* illa fere iuris sive aequitatis notio subiecta videtur esse, ut in sententia Demosthenica VI, 12: *ἡγεῖτ' οὖν, εἰ μὲν ὑμᾶς ἕλοιτο φίλους, ἐπὶ τοῖς δικαίοις αἱρήσεσθαι*, ubi Frankius adnotat: „eam amicitiam iustitiae limites non excessuram — Wolf. Proprie: ea conditione, ut iusta fiant vel a vobis exigantur.“ Quid autem vult dicere *πᾶσι τοῖς δικαίοις*? Nonne idem fere debet esse, quod vv. *πρὸς αὐτὸ μόνον τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον ἀποβλέποντες*? Postquam enim negando verba illa explicavit (*οὔτε κέρδους ἕνεκα κτλ.*), orator, qua est copia orationis*), insuper altero apposito aienti, quid velit intellegi, exponit. Agnoscitur hoc etiam in translatione Germanica Bremii, qui habet: „nach reinem Recht.“ At ista sententia est verborum *πᾶσι τοῖς δικαίοις*? Nonne significant: „totam iustitiam spectantes,“ non „solam iustitiam“? Quid vero? Certo orator, si verbis *οὔτε κέρδους — ἀποβλέποντες* aliam atque *ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαίοις* conditionem scribendi leges adicere voluisset, post v. *δικαίοις* particulam *καί* addidisset, sicut Benselerus, apud quem habetur: „in aller Gerechtigkeit,“ deinde „und“ addidit. Quod cum Aeschines non fecerit, legendum

*) Cf. C. F. Matthiaei: De Aeschine oratore apud Reiskium §. IV.

erit: *ἐπὶ πᾶσι δικαίοις*, ut est in Demosth. or. VIII (de Chers.) 10: *οἶμαι μέντοι δεῖν, εἴπερ ὡς ἀληθῶς ἐπὶ πᾶσι δικαίοις ταῦτα συμβουλεύουσιν κτλ.*

Cap. 74, §. 182: *οὕτω γὰρ ἦσαν πρὸς τὰς αἰσχύνας χαλεποὶ — ὥστ᾽ ἀνὴρ εἷς τῶν πολιτῶν, — ἐγκατῳκοδόμησεν αὐτὴν μεθ᾽ ἵππου εἰς ἔρημον οἰκίαν, ὑφ᾽ οὗ προδήλως ἔμελλεν ἀπολεῖσθαι διὰ λιμὸν συγκαθειργμένη.* Secundum scholiastae adnotationem (— *ὁ δὲ* h. e. *ὁ ἵππος λιμώττων κατέφαγε τὴν ἄνθρωπον*) equus filiam dicitur devorasse, et hoc consilio — quo enim alio fieri potuit? — equus una cum ea muris inclusus erat. Itaque *ὑφ᾽ οὗ* non *ἀφ᾽ οὗ* legendum et intellegendum est: ab equo, et Bremius ac Benselerus perperam interpretati sunt, ille Germanice reddens: „**wodurch** sie offenbar **aus Hunger** umkommen mußte," hic: „so daß sie, miteingesperrt, offenbar **durch Hunger** umkommen mußte." Si autem pater filiam ab equo comedi voluit, vv. *διὰ λιμόν* non cum *ἀπολεῖσθαι ἔμελλεν* coniungi possunt, non ita saltem, sicut consuevimus et Bremius Benselerusque fecerunt, ut *λιμός* ad puellam referamus. Quonam ergo modo sunt intellegenda? Reiskius in adnotatione hoc scripsit: *διὰ λιμόν;* subaudi: *ἐξηγριωμένου*," Wolfium, ut videtur, secutus, qui transtulit: „Fame efferato." At primum nimis dura haec verborum conformatio videtur, si *διὰ λιμόν* non ad puellam, sed ad equum referas. Deinde quid sibi vult *συγκαθειργμένη*? Si temporali sententia resolvas: at enim commodum dictum erat, puellam cum equo in desertam domum esse inclusam; ineptum igitur maxime est hoc sine ulla nova accessione repetere. Sin conditionem participio contineri existimes at quis nescit, equos hominibus non solere vesci? Itaque participium aut supervacaneum est et delendum (simile quid Bremius sensisse videtur, qui *συγκαθειργμένη* omnino non transtulit), aut signum nimiae dicendi copiae atque adeo loquacitatis oratoris, aut, id quod mihi quidem veri dissimile non videtur esse, ex codicis Laurentiani scriptura *καθειργμένη* restituendum: *καθειργμένου*. Praepositio *σύν* facile potuit a „sciolorum" illorum Cobeti hominum quopiam addi, aut a librario syllabam *ον* verbi antecedentis bis legente*) inseri, praesertim cum *κατείργειν***) etiam significet „in carcerem includere," qua notione hoc loco non adhibitum arbitror. Neque enim video, quid impediat, ne significationem verbo demus „arcte premendi", quam habet apud Herodotum VI, 102: *Χειρωσάμενοι δὲ τὴν Ἐρέτριαν καὶ ἐπισχόντες ὀλίγας ἡμέρας ἔπλεον ἐς τὴν Ἀττικὴν κατέργοντές τε πολλὸν καὶ δοκέοντες ταὐτὰ τοὺς Ἀθηναίους ποιήσειν, τὰ καὶ τοὺς Ἐρετριέας ἐποίησαν;* apud Thucyd. I, 76, 2: *οὕτως οὐδ᾽ ἡμεῖς θαυμαστὸν οὐδὲν πεποιήκαμεν — εἰ ἀρχήν τε διδομένην ἐδεξάμεθα καὶ ταύτην μὴ ἀνεῖμεν — οὐδ᾽ αὖ πρῶτοι τοῦ τοιούτου ὑπάρξαντες ἀλλ᾽ ἀεὶ καθεστῶτος τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι κτλ.*; IV, 98, 4: *πᾶν δ᾽ εἰκὸς εἶναι τὸ πολέμῳ καὶ δεινῷ τινι κατειργόμενον ξύγγνωμόν τι γίγνεσθαι καὶ πρὸς τοῦ θεοῦ;* VI, 6, 2: *καὶ οἱ Σελινούντιοι Συρακοσίους ἐπαγόμενοι ξυμμάχους κατεῖργον αὐτοὺς τῷ πολέμῳ καὶ κατὰ θάλασσαν.* — Ceterum decernant alii.

---

*) Vide Bastii commentat. palaeogr. p. 734 de confusione syllabarum *ον* et *σν*.

) De spiritu verbi simplicis nihil constat. Conf. G. Curtii Etymolog. Gr. edit. alt. pag. 165 sq. Curtius quidem ipse: „Der Unterschied," inquit, „zwischen *εἴργνυμι* schließe ein und *εἴργω* schließe aus muß für **später gelten."